

tem, & impotentiam, ostendit etiam natum in pueritia pauperem, sed in senio di-
uitem.

Si fuerit in secunda, natus erit malus, malorum operum, malæ uitæ, & in malo
statu, dicentur de eo mendacia, & inhonesta, habebitq; inimicitias propter substanci-
am.

Si fuerit in tertia, aduersabuntur ei fratres, & accident ei ex illis anxietates, &
labores, & ipsi erunt in malo statu, conciliabit sibi hostes in causis fratum, & inimi-
citias in iteribus brevibus.

In quarta, significat quod auersabuntur eum parentes, & rixabuntur cum eo
consanguinei, & progenies eius, & destruetur domus in qua natus est, & migrabit
ex ea habebitq; inimicitias in causis rerum immobilium.

Si fuerit in quinta, filii erunt ipsi inobedientes, eruntq; in malo statu, & cum
multi maculis & si cum hoc dominus quintæ fuerit in duodecima, nutriet filios alienos,
significat etiam tristitiam, & angustiam in causis filiorum & filiarum.

Si fuerit in sexta, erit infortunatus in seruis, & bestijs, significat multitudinem
tristitiae, & insidias in causis animalium minorum.

In septima, significat quod habebit rem cum mulieribus uilibus, & contem-
ptis, quæ auersabuntur eum, & accident ei molestiae, ac labores ex eis, erit miser in
fine uitæ suæ, & sentiet tristitiam, & angustiam, atq; insidias in causis uxoris, signi-
ficat etiam quod inimi i nati auferent eius bona.

Si fuerit in octava paucos inimicos habebit, & hæreditabitur ex eo substantia
multa, sed multitudinem tristitiae & angustiae, atq; insidias in causis hæreditatum
mortuorum experietur.

Si fuerit in nona recipient fratres eius ab inimicis grauamina, & si fecerit iter,
habebit molestias in eo, & erit malæ legis, significat multitudinem tristitiae, & an-
gustiae, & insidias in causis spiritualibus fidei, & religionis.

Si fuerit in decima, persecutur eum rex, & faciet ei malum, erit dolorosus, &
tristis, habebit multitudinem tristitiae, & insidias in causis honoris, & digni-
tatis.

In undecima, significat quod natus non habebit bonum, nec auxilium ab ami-
cis, & ipsi sient iniici eis, & ipse miser erit, significat etiam multitudinem tristitiae,
& insidias in causis fortunæ.

Si fuerit in duodecima, inuidos habebit plurimos, paucos amicos, nec dete-
gent inimicitiam, nec nocebit ei malum, uel inimicitia eorum, sed tristitiam, angusti-
am, & insidias in causis multorum inimicorum, & hostium sentiet, uil pendet inimi-
cos suos, quia non poterunt ipsi nocere.

Notandum tamen est, quod significaciones prædictæ, habent firma & ueridi-
ca iudicia, quando dominus domus, & domus in qua fuerit fuerint solitarij, ac pere-
grini, & non aspecti neq; à fortunis, neq; ab infortunis. Tamen si habuerint testimo-
nium fortunarum, uel infortunarum, necesse erit tibi commiscere significaciones eo-
rum, & secundum hoc iudicare, nunquam tamen recedendo ab hac regula, aut à ra-
dicibus istis.

C A P V T Q V A R T V M .

De significatis planetarum in duodecim domibus cœli.

Bb ij Primo